



ab utrisque diversa. Radix in nostra extus nigricat, intus pallet, calamus vel digitum minimum crassitie, longitudine unciam unam alteramve æquat, plerumque horizontalem sub terra situm servat, geniculatim prolifera, atque hinc a matre avulsa, aut hac destructa, in finem desinit præmorsum, fibris simul crassis longis pallidis rectaque in terram descendentibus munitur, odore gaudet aromatico, atque etiam tali sapore cum junctis amarore & levi acredine. Hæc ab alpicolis tanquam stomachicum commendatur, dicta nostratibus Gemswurzel. Caulis a tribus ad novem uncias altus, teres, striatus, simplicissimus, pilosus & subhirtus erigitur. Folia sunt lanceolata, obsolete & rariter dentata vel integerrima, acuta, venosa, rugosa, pilosa, ciliata, & aspera; caulina semiamplexicaulia; radicalia longius petiolata magisque obtusa, in plantis novellis sæpe rotundato-spathulata. Flos semper unicus & subodoratus caulem terminat. Calyx communis valde planus, & patentissimus, qui a tergo depictus in margine sistitur, constat foliolis duplici serie positis circiter quinque & viginti, lanceolato-acuminatis, apice haud sphacelatis, villosis, interioribus angustioribus & paulo brevioribus. Corollulæ femineæ in radio plano & patentissimo sunt oblongæ, lineatæ, calyce longiores, apicem in quatuor aut duos aut tres denticulos sectum habentes, numero a viginti ad quadraginta. Hermaphroditæ corollulæ disci sunt tubulosæ, subcampaniformes, patulæ, inque limbum divisæ quinquesidum. Anthera lutea, cylindracea, tubulosæ, apice quinquedentata est, nec basi in setas desinit. Utrisque flosculis fertilibus & luteis germina sunt oblonga ac villosa, & stigmata bifida. Receptaculum conicum & nudum semina locat pappo piloso sessili coronata omnia. Crescit in summis alpibus ad earundenque præcipitia, locis saxosis tenui terra obductis, florens a Julio ad Septembrim. Adstat in margine etiam flos disci, pappo avulso, ut pateat ejusdem figura.

TABULA NONAGESIMA TERTIA.

LEONTODON ALPINUM.

Radix perennis, calamus crassa, unciam unam alteramve longa, nigricat, fibrillas undique generans albicantes. Folia sunt oblonga, utrinque attenuata, acuta, argute dentata, utrinque pilosa, longiora semipedalia, ad basin quandoque purpurea. Scapus aphyllus erigitur, striatus, inanis, superne bractea una alterave instructus, infra florem subasper & parum tumens, simplicissimus, uniflorus, & semipedalis vel paulo altior. Calyx ex ovato oblongus, angulatus, niger, & hispidus pilis albis, constat squamis imbricatis, anguste lanceolatis, acuminatis, erectis, pluribus, interioribus longioribus. Corollulæ luteæ, patentissimæ, quinquedentatæ, calycem ad duplum superant, & denticulum sæpe aliquem lateralem incisum habent in laciniam linearem vel ad tubum usque. Anthera est lutea. Germina oblonga, angulata & glabra. Styli longi. Stigmata lutea & reflexa. Receptaculum nudum. Semina pappo coronantur sessili & valde plumoso. Ad latus adstat calyx cum corollulis paucis exterioribus, ut simul harum dorsalis fasciæ longitudinalis fuscescens conspici possit, quæ in interioribus corollulis desideratur. Crescit in herbis alpium jugis, florens a Julio ad Septembrim. Reperitur etiam in alpinis Hungariæ Carpaticis. Ab Hieracio Halleri num. 41, differt scapo aphylo, semper unifloro.

TABULA NONAGESIMA QUARTA.

GALIUM ROTUNDIFOLIUM. Linn. syst. pag. 118. Scop. carn. 1. pag. 102.
Galium foliis quaternis, petiolis longissimis, brachiatis, seminibus hirsutis. Hall. hist. belv. num. 727.

Fig. 3.

